VIRTVTI MAGIS QVAM *morbo credendum.*

NOn omnis ſanam medicinam ſuſcipit æger,
Nec bene vindictam ſuſtinet ille ſuam.
Cum ſenior ſummam conſcendit morbus ad æquor,
Et celſus culmen creuit aduſque ſuum:
Serus adeſt medicus, ſerò medicina paratur,
Maturumque ſuæ tempus abiuit opis.
Non bene quæ creuit manibus conuellitur arbos
Tentandus ſurcus, cum nouus eſſet, erat.
Si tamen auxilij fugerunt tempora primi,
Et poſſeſſa vetus viſcera morbus habet:
Excipe languentem lento medicamine morbum
Deſcendens, leuiter deijciendus erit:
Quaſſantur multis ſublimes viribus arces:
Quolibet impulſu præcipitata ruunt.
Sin medico ſummam perturbas munere pugnam,
Naturæ letho pugna dirempta iacet.
Sæuit in exhauſtas hoſtis ſæuiſſima vires;
Et ſubiens partes vindicis, hoſtis eris.
Nec nocet immenſum leuiter decerpere morbum,
Attenuat vires rara medela ſuas:
Sed leuis, & crudum permulcens leniter hoſtem.
Sic leuior morbus, fortior æger erit.
At ſemper cautus violenta remedia vites.
Ne vincas ægrum victus amore tuum.
Nutritur pluuia, pluuia demergitur herba.
Sole reuiuiſcit, ſole dehiſcit ager.
Reſtinguit ventus, ventuſque euentilat ignem,
Et cadit auxilijs obruta flamma ſuis.
Huic nullas ægro, vel lenes, caute, medelas,
Vel potius nullas, ſi ſapis, ipſe feres.

ERGO.

Qui nimium morbo credendum conſulis eſſe,
Conſilium princeps experiare tuum.

PESTIS COMMVNICATVR *proximis.*

PEſtis habet proprium, rerum commune venenũ,
Vt raro dominis propria damna ferat.
Hei mihi quod tantum morbus communior eſſet,
Cur non communis debuit eſſe ſalus?
Et lupus elingues conſpectus reddit, & Hydrus
Reddit luminibus lumina cæca ſuis.
At non alterius virtus virtute carentes
Inficit; heu bonitas lautior eſſe ſolet.
Et pecus in pecudes morbum tranſfundit, & omne
Turpis ouis ſcabie fœdat ouile ſua.
Scilicet vt riguas curſu delapſa per oras
Spargit littoreos longius vnda locos:
Sic lædit, dominum quæ tantum poſſidet vnum,
Non tantum dominum peſtis anhela ſuum.
Nam volat, & tabes vicinos corripit artus,
Et ſemper turbà paſcitur illa ſua.
Et caret inudia, ſocioſque requirit, & ipſa
Cum pateat latè, latior eſſe cupit.
Vtque tepent, nactis adiunctas ignibus ædes,
Proxima vicinæ tecta calore domus:
Sic atra funeſtæ ſerpit contagio tabis,
Semper vicino pernicioſa ſuo.
Sic aret tactu vicinus ab arbore ramus,
Aret & a ſocijs herba tenella ſuis.
Quid numerem diris exhauſtas peſtibus vrbes
Quid loquar exitio regna ſepulta ſuo.
Innumeris damnis (ne poſſim dicere damna)
Infecit numeros peſtis iniqua meos.
Quæ graſſans tetri funeſta tabe veneni
Creſcit materiæ proximitate ſuæ.

ERGO.

Qui negat infectam contagia fundere peſtem,
Vicinus viuat peſtibus ille, precor.